

ex parte etiam religionis minuetur libertas ad dimittendum religiosum dyscolum, ne cogatur bona illi reddere, quæ fortasse sustentando alios jam consumpsit, quod ad commune bonum ejus esset magnum incommodum.

22. *Decisio per triplex pronuntiatum.* — In hac re nihil existimo posse ex communi jure definiri, quia pendet ex modo contractus seu donationis, quæ est res facti potius quam juris. Nam, loquendo de possibili, certum est potuisse hujusmodi religiosum absolute talem donationem facere, sine ulla conditione quæ in futurum pendeat, quod probat evidenter ratio facta pro parte affirmante, quia voluntarie facit, et est absolutus dominus, et quia ita potest alienare, vel donare aliis; cur erit in hoc religio pejoris conditionis, aut magis incapax talis donationis? Secundo, censeo certum, facta in hunc modum donatione, non teneri religionem in rigore justitiæ, talia bona reddere tali personæ, si eam juste a se dimittat. Probatur primo ex ratione facta; nam in eam fuit absolute translatus dominium. Item, quia tertia persona, cui facta esset similis donatio, non teneretur ea restituere in eodem eventu. Dices, non esse eandem rationem, quia alia persona non est causa talis mutationis in hujusmodi religioso; at religio est causa illius, et constituit illum in novo statu, in quo indiget talibus bonis. Sed hoc parum refert; nam vel religio injuste hoc facit, vel juste. Si injuste, est contra conditionem positam in pronuntiato, estque ille casus distinctus, in quo merito obligatur, et cogenda est religio, ut reddat bona ei quem injuste dimisit; illa vero obligatio non est ob defectum prioris donationis, sed propter specialem injuriam respectu talis personæ sic donantis. Si vero justa est dimissio, ut in casu supponimus, non debet propterea religio obligari ad relinquenda bona quæ juste possidet, cum nec ratione rei acceptæ, nec ratione alicujus injuriæ teneatur. Neque in eo casu imputari potest religioni infelix eventus talis religiosi, sed ipsi imputandus est; nam propter hanc etiam causam, nulla facta est in principio injuria tali religioso, obligando illum ad relinquenda bona sua, exponendo se illi periculo; nam imprimis non obligatur unquam relinquere talia bona religioni, sed liber ad hoc relinquitur. Deinde sicut non cogitur talem religionem ingredi, ita nec bona alienare; si autem voluntarie utrumque facit, nulla ei fit injuria. Denique

non potest dici exponi periculo, quantum est ex parte religionis, cum nunquam dimitti possit, si ipse velit vivere juxta regulam status quem assumit, ut latius, tractat. 10, suo loco dicemus. Unde addo tertio, hujusmodi renuntiationem, etiamsi fiat in favorem religionis, fieri in hoc sensu absoluto et immutabili, seu independente a mutatione, quæ potest accidere circa statum personæ. Probatur rationibus factis, quæ mihi certe probant alium modum donationis esse valde perniciosum religioni, non tam in temporalibus quam in spiritualibus, et ideo nec acceptat, nec acceptare debet donationem in alio sensu factam, nec permittit ut renuntiatio aliter fieret, in cujuscumque favorem fiat.

23. *Moderamen prædictorum pronuntiatorum*¹. — Quamvis autem religio ex justitia non teneatur hæc bona reddere in hujusmodi casibus, ex quadam æquitate, et ad tollendam omnem occasionem offensionis, potest licite, vel omnia, vel aliquam eorum partem priori domino reddere, vel pretium eorum, quia hæc non censetur alienatio simpliciter bonorum religionis, sed quædam justa dispensatio, necessaria ad conservandam libertatem, quam talis religio profitetur, ad dimittendas personas quæ sibi non congruunt; imo, ex praxi, et consuetudine instituto consentanea, videntur hæc bona a principio acceptari a religione, cum hac potestate et libertate dimittendi etiam illa simul cum persona, si fuerit expediens ad finem Societatis, et ad communem ædificationem. In hac tamen æquitate faciendâ, observare etiam necesse est ne nimium gravetur religio, quæ per multos annos alit personam, quæ postea litteris et aliis donis instructa dimittitur, et nihilominus integra vult recipere bona quæ donaverat, quod non potest non esse grave onus religionis. Cavendum etiam est ne facilitas in hac parte generet in subditiis certam spem recuperandi bona in simili eventu; nam posset hæc esse occasio licenter vivendi, ut supra dicebamus. Denique præcavendum est etiam ne hoc sit tam frequens, et tali modo fiat, ut inducatur consuetudo obligationem inducens.

¹ Vide p. 2 Constit., c. 3, lit. B, et decretum 8 Congreg. 5.

CAPUT XV.

AN CUM RELIGIOSO TRANSLATO TRANSFERANTUR ETIAM PRÆROGATIVÆ QUIBUS IN PRIORI RELIGIONE FRUEBATUR?

1. *Prima regula circa prærogativas religionis a qua fit transitus.* — *De prærogativa antiquitatis, et eam consequentibus.* — *De prærogativa Prælaturæ.* — Per prærogativas hoc loco intelligimus quæcumque facultatem activam, ut eligendi, ferendi suffragium, etc., vel capacitatem passivam, ut eligatur, verbi gratia, ad tale officium, ministerium, vel beneficium; item jus sedendi in tali loco, et similia; item immunitates vel exemptiones a tali onere, vel labore, etc. Circa quod advertendum est, sermonem esse posse, vel de his omnibus, quatenus fundantur in professione facta in religione a qua fit transitus, et in ejus regula, vel quatenus fundari possunt in professione et regula alterius religionis. Nam, quatenus ex natura rei consequuntur quamcumque personam in religioso statu existentem, nisi ab extrinseco illis privetur, constat transitum nihil obesse talibus prærogativis. Duas ergo generales regulas constituo. Prima est: omnis prærogativa præcise fundata in professione primæ religionis, et in regula ejus, non transit cum persona, sed amittitur transitu consummato; exempla sunt, primum de antiquitate religionis, nam illa fundatur in professione facta in tali religione, et ideo quamdiu in illa permanetur, computatur per se loquendo a die quo ibi professio facta est. Talis autem professio non valet pro alia religione, quia per illam non est effectus membrum ejus, nec obligatus obedientiæ ejus. Hac enim ratione, qui transfertur, et aliam religionem per annum probare, et in ea professionem emittere debet, ut recte Navarrus, consil. 60 et 67, de Regular., in 2 impressione. Hinc ergo fit, ut translatus amittat antiquitatem quam habebat in monasterio priori, et consequenter fit, ut amittat locum, et quodcumque privilegium sibi debitum ratione antiquitatis. Fit etiam ut translatus ad monasterium alterius ordinis, non sit capax Prælationis in illo ordine, nisi in eo professionem emittat, quia capacitas ad Prælationem alicujus ordinis, secundum ordinarium jus, fundatur in professione facta in eodem ordine, ut in superioribus late tractatum est, et habetur etiam ex Tridentino, sess. 15, cap.

21, de Regular., et sess. 14, cap. 10, de Reformat. Unde etiam si quis ad hunc finem ex uno ad alium ordinem transferatur, ut ibi Prælationem exerceat, non debet sine speciali dispensatione ad Prælationem admitti, nisi prius ibi professionem emittat. Unde cum professio perpetua sit, quamvis ille postea Prælationem dimittat, vel quacumque de causa illa privetur, in eodem ordine ad quem fuit translatus manere debet, ut recte dixit Navarrus, cons. 61, de Regular., et sequitur Emmanuel Rod., tom. 3, quæst. 52, art. 16, ubi fusius hoc disputat; sed mihi videtur res extra omnem controversiam.

2. *Secunda regula bipartita de prærogativas religionis ad quam transitur.* — Secunda regula est: postquam translatus ad alium ordinem ibi professus est, consequenter habet quamcumque prærogativam, facultatem, aut capacitatem quam alii religiosi ejusdem ordinis habent ex vi suæ professionis et regulæ, nisi specialiter in aliquo prohibeatur per jus. Probatur prior pars, quia ille translatus post professionem est verus religiosus talis ordinis; nam professio, ibi facta, vera professio est, ejusdem speciei, ut sic dicam, cum professionibus aliorum ibi solum profitentium; et ratione prioris professionis, non est talis persona incapax, nec per se demeretur omnia privilegia et commoda talis religionis. Prior enim professio optima fuit, unde habuisse illam non nocet; in præsentem autem jam non existit, neque obligat, quatenus repugnare poterat posteriori, quia quoad hoc per illam irritata est. Mutatio autem ab una in aliam, vel fuit consilii, ut si translatio fuit in religionem perfectiorem. Si autem fuit ad laxiorem, supponitur autem facta ex legitima dispensatione, et consequenter honeste; ergo translatio ex nullo capite impedit quominus translatus fruatur omnibus effectibus et commodis professionis illius religionis ad quam translatus est, et quam denovo est professus. Confirmatur primo, nam per professionem posterioris religionis amittit omnia jura specialia prioris professionis, argumento capituli *Si quis jam translatus*, 21, quæst. 2, et c. *Ne pro*, 16, quæst. 1; ergo debet gaudere omnibus juribus secundæ professionis. Confirmatur secundo, nam ille per secundam professionem tenetur sustinere onera omnia talis religionis, quia eodem voto obedientiæ et paupertatis astringitur, ad quod faciunt quæ tractat Navar., Comment. 4, de Regular., num. 26 et 27; ergo debet

etiam gaudere omnibus commodis talis professionis, nam qui sentit onus, debet etiam et commodum sentire. Atque hinc fit, ut hujusmodi translatus jam professus habere debeat locum et suffragium juxta morem et regulam talis religionis; sequitur etiam posse eligi in Prælatum ejusdem religionis, quantum est ex hoc capite, et similiter posse habere beneficia regularia talis religionis, et sic de aliis privilegiis, etc., de quibus multa apud Navarrum, in dicto Comment. 4, et in citatis consiliis de Regularibus.

3. *Dicta Clementina ad omnes Mendicantes extenditur.* — Exceptio autem, seu posterior pars regulæ, addita est primo propter Clementinam primam de Regularibus, in qua statuitur ut mendicantes omnes, qui ad religiones non mendicantes transierint, vocem aut locum in Capitulo habere non possint, etiamsi ab aliis concedatur, et ut assumi non possint ad Prioratus, administrationes, officia, curam animarum, vel regimen, vel etiam ad hæc loco aliorum exercenda. Et ita fiunt ad hæc omnia incapaces, ut quidquid in contrarium factum fuerit, sit irritum et inane. Quæ constitutio suam vim retinet, et omnino servanda est; ratioque illius fuisse videtur, ut religiosi mendicantes in sua paupertatis professione stabilius et quietius perseverent. Gaudent autem illo privilegio, non tantum quatuor antiquiores ordines mendicantes, sed etiam recentiores, ut religio Minimorum, et religio Societatis, ut supra cap. 12, num. 38, in simili dictum est, quia tam veræ mendicantes sunt hæc posteriores, sicut et priores, ut per Pontifices declaratum est, et infra, tractatu 9, ostendimus, et ita comprehenduntur sub lege universali, quæ, disponens in ea specie, comprehendit etiam futuras religiones mendicantes, sicut decreta, quæ generaliter disponunt de regularibus, comprehendunt quamcumque religionem de novo approbatam.

4. *Hujus extensioni obstare videtur Navarrus.* — Potest autem contra hoc citari Navarrus, cons. 57, de Regularibus, in prima impressione, et 66, in secunda, ubi ait religionem Sanctæ Mariæ de Mercede, translatum ad ordinem non mendicantem, non incurrere dictas inhabilitates, quia religio Mercedis non est ex quatuor mendicantibus de quibus Clementina loquitur; sentit ergo solum dictos quatuor ordines comprehendere in illa Clementina; idem etiam suadet ejus ratio, quia illa dispositio est pœnalis, et ideo non debet ex-

tendi. Sine dubio tamen non fuit hæc mens Navarrus, sed ratio ejus in illa responsione fuit, quia dicta religio Sanctæ Mariæ omnino non est ex mendicantibus, ut ipse sentit in cons. 63 ejusdem impressionis, vel 65 alterius. Ubi etiam addit, quod si illa religio ex primæva institutione, vel ex nova reformatione a Papa confirmata, profiteretur paupertatem in communi, in ea haberet locum dispositio dictæ Clementinæ; ergo sentit non limitari ad quatuor ordines prædictos, et ita confirmat declarationem datam.

5. *Ad locum citatum in num. præced. — In priori ergo consilio, illa dictio quatuor casu addita videtur; et ita in fine ejusdem consilii melius dixit Clementinam loqui de mendicante transeunte, et ideo non extendi ad non mendicantem, et hoc ad summum concludit congruentia. Quamvis autem lex illa, licet respectu translati videatur pœnalis, vel potius odiosa, simpliciter est favorabilis et privilegiativa, quia respectu totius religionis, cujus bonum majus est, continet privilegium et favorem. Hinc vero non sequitur, etiam ad non mendicantes extendendam esse, quia etiam privilegia maxime debent propriis terminis contineri. Sicut e converso, quamvis lex illa esset pœnalis, extenderetur ad omnes vere mendicantes, etiam denuo approbatos, quia lex etiam pœnalis non est ita limitanda, quin proprietas terminorum servetur.*

6. *Extenditur deinde ad omnes non mendicantes, præter Carthusianos.* — Sicut autem ex parte mendicantium universalis est constitutio, ita etiam ex parte religionum ad quas fit transitus, est prorsus universalis, et comprehendit omnes non mendicantes, etiamsi Apostolica auctoritate ad eas transitus fiat, ut in textu expresse dicitur. Invenio autem quamdam limitationem adhibitam a Congregatione Cardinalium, circa Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 11, his verbis: *Omnes cujuscumque religionis legitime translati ad Carthusianos possunt in eadem Carthusiensi religione in claustris Priores, et extra claustrum Procuratores esse.* Quæ exceptio firmat regulam in contrarium quoad omnes alias religiones, et ipsa videtur fundata in principio juris, sub generali regula non includi casum specialem rationem habentem, qualis in presenti est Ordo Carthusiensium, juxta frequentem juris consuetudinem.

7. *Extenditur denique ad omnem administrationem.* — Non tamen recte extenditur ad officium prædicandi et docendi. — Quæri au-

tem ulterius potest, quid comprehendatur sub officiis et muneribus quæ his religiosis translatis prohibentur. Sed de hoc videri potest glossa ibi, et Panormitanus, qui sentiunt sine distinctione omnia officia illis interdici, non solum quæ jurisdictionem habent, de quibus est res indubitata, sed etiam quæ solum habent administrationem, ut officium Œconomi, Syndici, et Castaldi, ut loquitur illa Glossa, quam vocem alia Glossa, in § *Pana*, Institut. de Injuriis, significare dicit actorem servum. Quæ ampliatio ex verbis textus satis colligitur; nam prohibet assumi ad omnes administrationes et officia, non solum tanquam principales ministros, sed etiam ut tenentes locum aliorum. Quod vero Glossa et Panormitanus habet de ministerio prædicandi, nimium mihi videtur, tum quia in verbis textus in rigore non comprehenditur, nam in prioribus verbis, *Ad prioratus quoque, administrationes, etc.*, sermo tantum est de muneribus pertinentibus ad administrationem rerum temporalium; postea vero de spiritalibus solum dicitur: *Quodque animarum curam et regimen, nec pro se possint, nec pro aliis exercere;* prædicare autem non est exercere curam aut regimen animarum; neque obstat quod prædicare sit officium curæ; non est enim officium, prout dicit potestatem, sed prout dicit actum: ibi autem non prohibetur his translatis omnis actus curandi, sed ipsa cura et regimen. Nam etiam ministrare sacramentum Confessionis seu Eucharistiæ, est officium curæ, et tamen dicendum non est hos esse factos inhabiles ad hæc sacramenta ministranda. Tum etiam quia, in hac actione, non est eadem ratio quæ in aliis ministeriis, quia non est verisimile aliquem transire a mendicantibus ad non mendicantes, ex nimio affectu concionandi, nam ad hoc munus ex se aptiores sunt mendicantes ordines, quod secus est de ministeriis temporalibus, vel de aliquo beneficio, etc. Pontifex autem voluit hujusmodi occasionem præcidere. Et ideo non credo prohibuisse hoc munus prædicandi, præcipue cum ad commune bonum spirituale ordinetur, sicut nec prohibuit munus legendi, seu docendi, quæ oneris esse, et non honoris exposuit Sixtus V, in declaratione sui Motus proprii de legitimis, quæ hanc etiam interpretationem confirmat.

8. *Secundum fundamentum ejusdem posterioris partis sumitur ex Tridentini decreto.* — *Prima prohibitio hujus decreti, et ne fiat transitus nisi ad manendum in claustris.* — Secun-

do posita est illa exceptio propter quoddam decretum Concilii Tridentini, sess. 14, c. 11, de Reformatione, quod sic habet: *Quia regulares de uno ad alium ordinem translati, facile a suis Superioribus licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, et apostatandi occasio tribuitur, nemo cujuscumque ordinis Prælatus, vel Superior, vigore cujuscumque facultatis aliquem ad habitum, et professionem admittere possit, nisi, ut in ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustris perpetuo maneat; ac taliter translatus, etiamsi Canonice regularium fuerit, ad beneficia secularia, etiam curata omnino incapax existat.* In quo decreto duæ prohibitiones continentur: una pertinet ad observantiam clausuræ in hujusmodi translatis, et directe ibi solum præcipitur ne hujusmodi recipi possint, nisi ut, in ordine ad quem transferuntur, in claustris sub Prælati obedientia perpetuo maneant. Ponderanda est enim illa particula *ut*, per quam significatur mentem Concilii fuisse prohibere, ne translatio vel receptio translatis fiat ad hunc finem, ut ea occasione translatus maneat extra claustrum de licentia Prælati illius ordinis ad quem fit translatio. Unde, si expresse vel tacite eo fine translatio fiat, sine dubio graviter peccabit et transiens et recipiens illum.

9. *Transitus absque illo fine manendi in claustris, licet illicitus, non est irritus.* — *Nisi dispensatio ad transitum sit surreptitia aliumde.* — Quæri autem potest an receptio in eo casu sit irrita; nam Concilium solum dicit: *Admittere non possit nisi,* etc. Tamen quia non addit verba irritantia, non videtur ex vi illius prohibitionis receptio, vel professio irrita; quando enim Concilium hoc intendit, id exprimit, et verbum *non possit* solam prohibitionem significare frequenter solet. Ex alio tamen capite posset illa translatio esse irrita, si quis, procurans transitum revera illa intentione, dispensationem peteret sub alio titulo vel colore, tacita illa circumstantia; talem enim dispensationem subreptitiam judico, utpote obtentam ex falsa vel diminuta narratione contra Pontificis mentem, quæ, sine dubio, in hac parte Concilio conformis est. Hac ergo ratione, omnia subsecuta in vi tali dispensationis erunt irrita, sicut essent si absque ulla dispensatione fierent. Et præterea etiam post factam hujusmodi translationem prædicta intentione, non potest Prælatus dare licentiam sic translato ad manendum extra